



Ioannes ille natione Germanus à pueris operã
 literis dedit, atq; primis rudimentis domi cog-
 nis, ad varia doctorum gymnasia, Coloniense præ-
 sertim se contulit. Ibi artibus & linguis magna dili-
 gentia incubuit, atq; postea iuris studia cõiunxit:
 in quo adeò profecit, ut Legum Doctor crearetur,
 & ob eruditionem à cunctis agnosceretur. Postea
 Ioannes iuris studiũ suis lucubrationibus illustra-
 uit, & præclarum sibi nomen comparauit. Scripsit
 enim Practica actionũ forẽsium absolutissima, un-
 de cognitio uniuersi iuris relucet, quid actor perse-
 qui, quid reus excipere possit secundum æquita-
 tem, in classes nouem distincta, atq; Colonia 1540
 tribus tomis edita. Deinde uariarum lectionum libros aliquot, ad iuris ciuilis
 interpretationem commodissimos: utpote Isagogen iuris naturalis, gentiũ, &
 ciuilis: Decalogi explicationem: Expositionem in leges 12 tabularum: Postea
 actionum iuris ciuilis Locos communes, ad usum forensem accommodatos:
 Usucapionum & præscriptionũ tempora ex iure ciuili de iure singulari: Colla-
 tionem iuris ciuilis & canonici: De copia rerum & uerborum in iure ciuili, ex
 constantissimis Iurisconsultorum sententijs: Indicem Digestorum, & Politix
 orbis Rom. restaurationem, cum multis explicatis legibus, & alijs huiusmodi
 libris. Vnde non modò Colonia, uerùm etiam ubiq; terrarum, ob uarias has
 lucubrationes, gratissimus extitit. Con. Gess.